PROGNOSTICON NOVUM, ANNI HUIUS CALAMITOSISSIMI 1578. CUM DESCRIPTIONE...

Nicolas Bazel

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

90

Gesteriliseerd in
April ,1980.

Google

Digitized by Google

Res. 1072

PROGNOSTICON

nouum, Anni huius calamitoſiſsimi 1578.

Cvm deſcriptione Cometæ viſi 14. Nouembris anni elapſi.


Autore D. Nicolao Bazelio, *Bergenſium D. Guinochi Medico Chirurgo.*



ANTVERPIAE.
Apud Henricum Henricium, ad cœmiterium B. Mariæ, ſub Lilio.
1578.

BIBLIOTHEQUE
DE L'UNIVERSITÉ
DE GAND


VE VE VE


Cometa primum nobis viſus die 14. Nouemb. 1577
Stella polaris
Ursa minor
Polus
Septentriones
Circulus Arcticus
Ursa major
Zodiaci
Schema meteorographicū Cometæ Πωγωνίας, qui fulſit a 10. die Nouemb. 1577. vſ. 6. Janua. 1578
Tropicus Cancri
Arcturus
Libra
Spica ♍
Virginis
Scorpius
Die primo Decembris hora 6. poſt meridiem 1577.


Caſsiopeia
Capite Cephei
Caput Andromede
Scheat.
crus pegaſi
Aquila
Piſces
Aquarius
Capricornus
Die 13. Decemb. hora 6. poſt meridiem 1577.
Die 4. January hora 6. poſt meridies. 1578

De Tempore, Forma, & Situ Cometæ. 1577. Eiuſque motu Obſeruatio. Necnon de generali ſignificatione Crinitarum, tum etiam de huius propria quadam. A. N. B.

DIE 14. Nouembris 1577. fuit Bergis primum conſpicuus dirus admodum, horrenduſque Cometa, ſub horam quintam poſt meridiem, ſeu ſtatim poſt Solis occaſum. Qui (vti à viris fide dignisſimis intelleximus) ruri viſus eſt die 11. Nouembris. Nobis autem veriſimile eſt primum effulſiſſe, ſtatim poſt nouilunium proximè præcedens, die ſcilicet 10. Nouembris.

Hunc, noſtro calculo offendimus, primo conſpectus tempore ſitum eſſe in gradu 6. Capricorni; in limbo Auſtrali viæ lacteæ non procul à Tropico Capricorni: Saturno orientalior pluſque tribus gradibus cum dimidio, idque longitudine, properans ad congreſſum parentis ſui ſcilicet Saturni, & ad fidiculam. Latitudine verò boreali, citra Eclipticam. 3. propemodum gradibus. Et vltra Aequatorem 20. Salua tamen doctiorum diligentiori obſeruatione. Hic viſus eſt nobis, eodem ſcilicet 16. Nouembris die, occaſum ſubire, ſtatim poſt horam 7. non procul ab occaſu Solis Hyberno, ſeu eà cæli parte, qua nobis flat Aphricus, idque motu primi mobilis. Dum autem primò nobis appareret, habebat caudam longiſsime latiſsimeque diffuſam, & ad corpus propemodum Lunæ (quæ tunc in tertio gradu Aquarij voluebatur) protenſam, Subpallido, lugubri, horribilique facie, ſcintillas ſubinde, non ſecus ac dum faber incude, malleoque ferrum candens erudit, euomendo, radioſque breuiores tanquam latiorem barbam in Auſtrum diffundendo, præſertim flante Borea aſperiore lucenteque polo clariore, & puriore: Hinc meritò vocandus, tam Ariſtotelis, quàm Aſtrologorum neotericorum iudicio, à forma πωγωνίας, ſeu barbatus. Hic ſingulis diebus ſerius occaſum ſubijt, ob hoc quod ad principium vſque Decembris, proprio ſuo longitudinis motu, ſecundum videlicet progreſſum ſignorum Zodiaci, indies duobus plus minus gradibus verſus Orientem promoueretur, Lunæ motum à tergo inſequendo, non tamen paſsibus æquis.

Latitudine verò in Boream magis atque magis ſuper noſtrum hemiſphærium promotus, ad noſtrum zenith, ſeu capitis verticem procedendo, cauda ſemper in Orientem protenſa.

Quæ

Quæ primo aſpectu pluſquam 30. grad. in longitudinem proſuſa erat, adeo vt Lunæ corpus contingere videretur, ortus (vti diximus) circa Capricorni Tropicum; vnde paulatim tam longitudine verſus ortum, quàm latitudine verſus Boream aſcendens, tardius tamen multo in latitudinem, adeo vt pluſquam proportione dupla in longitudinem promoueretur magis, quàm in latitudinem, eamque proprij motus analogiam toto propemodum apparitionis tempore ſeruando.

Die 22. Nouembris viſus eſt nobis Aequinoctialem Circulum ſuperaſſe, vt tunc ſtellas aliquot Aquilæ radijs ſuis tegeret, non tamen omnino, quum adhuc per Cometæ radios elucerent. Die 24. ſub horam ſextam à Meridie ad Delphinum properabat, ab eodem inde ad ortum declinando. Die 28. coniunctus cum cauda Delphini, deinde per equum minorem verſus Pegaſi ſydus iter inſtituit, tardius tamen multò quàm antea, tam longitudine quàm latitudine procedendo, donec ad Tropicum æſtiuum ſiue Cancri peruenerit, vltra quem lentiſsimè promotus non procul à crure Pegaſi Scheat. Die 28. Decembris omnino viſus eſt ſubſiſtere, adeo tunc corpore, ac lumine diminutus, vt tantum rudimenta quæpiam radiorum & corporis Crinitæ comparerent. Die autem 4. & 6. Ianuarij adhuc conſpecta veſtigia quæpiam, at tam tenuiter, vt vix vel Lyncæis oculis dicerni potuerit.

Hic à primo eius ortu ad vltimam vſque curſus metam iter ſuum viſus eſt inſtituere, obliquè tamen, & ſenſim à circulo lacteo deuiando, verſus Caſsiopeiæ ſydus, ac locum vbi ſtella illa peregrina fulgentiſsima emicuit, anno 1572. circa 9. diem Nouembris. Stella inquam clariſsima, & nobiliſsima, cui ſimilem viſam fuiſſe nuſquam teſtantur Chronica, aut ſaltem à nemine hactenus obſeruatam, Splendidiſsima illa excepta, quæ tempore Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti Magis conſpicua fuit. Fulſit enim illa in ſummo ſplendore, pluſquam menſibus 4. deinde ſenſim lumine diminuta donec circa Februarij principium anni 1574. omnino euaneſceret: claruit autem illa totis menſibus 15. ſemper loco ſtabilis, & fixa, cum qua hic Cometes non minimam propter ſui tarditatem ſympatheiam habere videtur. Quùm toto bimeſtri motu proprio tria Zodiaci Dodecatemoria non abſoluerit, & tardiſsimè etiam in Boream promotus ſit: quales antea pauciſsimi ſunt obſeruati; ſed curſu ſemper tam longitudine quàm latitudine velociſsimi.

De

De Cometarum cauſa materiali varia eſt inter Philoſophos veteres diſceptatio, à quorum placitis plerique Neotericorum diſſentiunt, & adhuc ſub indice lis hæret. De qua aliàs plura.

CAuſæ verò efficientes, ſeu parentes huius πωγωνιας, fuerunt (Aſtrologōrum iudicio) rara illa ſynodus, concurſuſque omnium Planetarum exceptis Venere & Saturno) in Virginis dodecatemorio, circa eclipticam, & non procul à puncto Aequinoctij Autumanlis, menſe videlicet Septembri proximè elapſo. Huc ſuffragia non minima contulit Eclipſis illa maxima, quæ contigit media nocte inter 26 & 27. Septembris, eiuſdem anni 1577. in gradu 13. & 15. mi. Arietis, ſigno trigonoque igneo, Marte tunc Ioui congrediente in 27. Virginis, circa viam Regiam, eclipticam ſcilicet, & in finibus Martis. Aſcendente tunc 10. gra. & 52. mi. Leonis, ſigno igneo, culminante 22. Arietis ſigno etiam igneo, termino domoque Martis. Mercurius autem combuſtus, qui termini loci ecliptici dominus eſt. Hinc colligito quanta cauſarum ſyndrome ad Cometæ huius generationem conueniat. Poſt hanc Eclipſim, toto octiduo, fuit æſtiua omnino cæli conſtitutio, calida ſcilicet, ſicca, & ſerena, ſpirante continuo Euro. Quæ omnia (modò non vana ſint, tam Philoſophorum, quàm Aſtrologorum, de Criniti ſyderis cauſa materiali, placita) ad huius Cometæ generationem, ac ætatem, ſeu longæuitatem, materiam ampliſsimam ſuppeditarunt, attractis ſcilicet ſurſum ad æthera vi ſyderum exhalationibus multis, craſſis, viſcoſiſque vaporibus intermiſtis &c.

De natura ac ſignificationibus Criniti huius ſyderis. Πωγωνιασ.

COmetes iſte hactenus in ætheris ſuprema regione conſpicuus, vultu horrendo, ac funeſto, quùm collectus ſeu ortus ſit in prima Capricorni decuria, domo Saturni, circa Tropicum hybernum, tribus plus minus gradibus Saturno orientalior (hic enim in gradu 9. & mi. 44. Capricorni domo propria voluitur, ad ſummam Epicycli ſui Abſidem accedens) naturæ Saturniæ cenſendus eſt. Quod etiam tardior eius progreſſus, confirmat, vt qui toto propemodum bimeſtri (vti diximus) nondum tria ſigna Zodiaci percurrerit, ſeruaritque cùm Saturni progreſſu analogiam quãdam, cuius etiam indolem ſequetur. Præterea quùm in finibus Mercurij ſit natus, & in ſigno exaltationis Martis, qui ad hexagonos Saturni radios (vt eius beneuolentiam captet) accedit: Martis

etiam

etiam & Mercurij æmulus hic Crinitus cenſendus eſt, eoque magis, quod Mars, illi feruorem, Mercurius verò motum ſuppeditarint: Qui cum ſit retrogradus, eius progreſſum vt plurimum remoratus ſit, vel tardiorem fecerit.

Ptolomæus Lib. primo Cap. 3. de Aſtrorum Iudicijs.

PRæuiſio futurorum animum componit, & moderatur meditatione abſentium tanquàm præſentium eumque præparat ad excipienda ventura, cùm tranquillitate & conſtantia. Neque ignoramus, in ijs rebus, quæ neceſſario accidunt, ſubitis & inopinis aduerſitatibus, animos magnopere percelli, & ſucceſsibus extolli. At iacula præuiſa minus feriunt. Tum etiam vir ſapiens dominabitur aſtris. Porro quùm annus iſte 1578. ex Aſtrorum dominantium decreto, futurus ſit calamitoſiſsimus, atque hominibus quamplurimis fatalis: quùmque diriſsima quæque (ne dicam extrema) non ſolum ex eorundem ſignificationibus, ſed potiſsimùm ex conſenſu ſtatus Reipub. Chriſtianæ, atque aptiſsima præparatione colligenda, imo vel cæcutienti palpanda: Non eſt quod quippiam frugis, commodi, vel boni ex huius Criniti natura expectemus: vt qui omne propemodum malorum genus, peruerſiſsimæ huic noſtræ Reip. impendere ſignificet. Adeò vt ex Pandoræ quondam pixide nunquam plura eruperint, emerſerintque mala; quàm nunc immineant Mortalibus, cuiuſcunque ſtatus, ordinis, ſexus, atque conditionis fuerint, Niſi piorum præcibus ira diuina placetur. Tales enim ſunt effectus Eclipſis illius Lunaris horrendæ à nobis obſeruatæ, media nocte inter 26 & 27. Septembris elapſi, qua à multis annis maior non fuit viſa, ex cuius magnitudine atque diuturnitate, tum etiam ex Gubernatorum peruicacia, grauiſsima mala ſunt expectanda. Hæc autem effectus ſuos maligniſsimos ab initio May 1578. in finem vſque Augusti ſequentis proferet, in mortalium perniciem. Huc vires ſuas coniunctim confert maligna illa conſpiratio Saturni Mizanthropi, ac Martis Cruenti Hemopotæ: qui aliàs odio pluſquam vatiniano diſiuncti, humano generi ſeparatim inſidiantes, non tam grauiter obeſſe poterant, quàm alter alteri impedimento ſubinde eſſet, ne peruerſiſsimam ſuam Indolem, vimque hominibus inferre poſſet. Quid nunc putas fore? quùm homini Sycophantæ ſint amiciſsimo congreſſu confœderati, idque in Tropico loco cæli fortiſsimo, ac nobiliſsimo, & ad nocendum mortalibus commodiſsimo. Saturnus ſiquidem in ædibus

 proprijs

proprijs triumphans, hoſpitem Martem expectat, qui ad locum Carpenti ſui, ſeu exaltationis properat. Contingent enim congreſſus iſti in gradu 22. Capricorni in domo cæli 12. vbi etiam ſuapte natura Saturnus gaudet, quæ domus dicitur Carcerum, tribulationis, & calamitatum, ob hæc vocata Cacodemon. Die videlicet 14. Martij, hora 4. & 36. mi ante meridiem. Saturnus & Mars occidentalis, in hominum perniciem ſimul conſpirantes, malignoſsimos Eclipſis prædictæ effectus promonent. Sicque virtus ſe ipſa diſperſa fortior. Mercurius combuſtus & retrogradus, verſutiam ſtimuloſque maleuolis ſuppeditat, quorum iuſſa capeſſet lubentiſsimè, & effectum promouebit Iupiter in hac malignorum coniunctione, in domo 7. in loco exaltationis Saturni (vbi is) alioqui maleuolus, plurimùm poteſt, in throno inimici ſui, & ab omni fauore ac ſuffragio bonorum deſtitutus, multiplici infortunio oppreſſus, tum etiam retrogradus, alumnos omnes ſuos à maleuolorum minis tueri non poterit, quin potius grauiſsima quæque (ne dicam extrema) illis immineant.

Sol etiam ad vtriuſque maligni tetragonum properans, quorum hoſtilibus radijs peſsime afficietur, maximas calamitates ſubditis ſuis Solaribus ſcilicet decernit; atque de malignorum infauſto illo congreſſu hactenus.

Nunc autem, vt Eclipſis prædictæ effectus innoteſcant, de generalioribus eius ſignificatis paucis hic agere viſum fuit.

Eclipſis huius Gubernator primarius eſt Mars, cui Mercurius ſeſe ſocium offert. Contigit autem in domo cæli nona, quæ domus Religionis dicitur. Neſcio (me hercle) quo fato fiat, quòd tot Eclipſes in domum nonam incidant, aut cum eadem cognationem habeant. Dolendum (proh dolor) ac deplorandum ſummopere, quod tam grauia mala, imo propemodum exitialia noſtræ Religioni minentur: Quare omni conamine, tam continuis precibus, quàm omni pietatis genere placandus eſt omnipotens Deus, vt iram ſuam à nobis auertere dignetur: Ne diuino ſuo lumine nos priuet, fidemque hanc noſtram Catholicam (in qua æterna noſtra ſalus conſiſtit) ab impijs hominibus lacerare & extinguere patiatur. Hæc enim Eclipſis maximam non ſolum in politicis at etiam in Religione mutationem imminere ſignificat: Pericula maxima in itineribus ac legationibus decernit, interceptiones literarum varias, inter Proceres Prouinciarum, legationum, conuentuumque frequentiam, vbi variæ,

tiæ, occultæ, dictuque incredibiles res tractabuntur, nullius tamen ad Reipub. ſalutem progreſſus, & commodi, Quum ſemper adfuturi ſint Laruati illi, ſubdoli, vafrique, Ianoque illo bifronte genitore ſati, ac crudeliſsimæ, pluſquam cordatæ, Belluæ (tam in propriam tamen perniciem quam communem natæ) qui ſemper inuerſuri ſint, quod ad aras focoſque tuenda factu conſultiſsimum foret. Ecquis igitur è faucibus trifaucis Cerberi, rugientiumque Leonum eripiet nos? Solus Altiſsimus refugium noſtrum, totius ſalutis noſtræ vnica ſpes, anchora tutiſsima, aſylon inexpugnabile.

Quum enim Saturnus hoſtilibus (vt pote tetragonis) radijs, ecliptico loco ſit infeſtus, neque aliqua beneficorum Planetarum radiatione Luna illuſtretur, grauiſsima omnia decernet; Præterea occultas fraudes, varios dolos, impoſturas, callidaque ac ſubdola conſilia, populique furores, & proditiones paſsim fore deſignat: adeo vt nuſquam tuta fides futura. Quum etiam Eclipticum ſignum ad domum decimam ſeſe extendat, Proceribus, multis aulicis, nobilibúſque calamitatem non minimam denunciat. Mars Ioui iunctus in domo cæli tertia, Mercurius etiam in eadem combuſtus, mortem quorundam Iouialium poteſtate eminenti fulgentium indicat, potiſsimum qui de natura Martis & Mercurij ſint: tum etiam Iouialibus reliquis diriſsima omnia. Minatur præterea diſceptationes in Religione grauiſsimas: necnon clandeſtina odia inter parentes, fratres, amicos, conſanguineos, & affines. Quum etiam Mars Ioui iunctus ſit in termino proprio, atque eo ſigno, vbi Iupiter detrimentum maximum patitur, & vileſcit, extendaturque ſignum illud per totam domum ſecundam (quæ domus eſt ſubſtantiarum, diuitiarum, ac theſaurorum) incommodorum omne genus Iouialibus minatur: vt illis ſummo pere ſit metuendum, ne illorum theſauri atque diuitiæ in illorum perniciem expilentur, vel dolo malo, fraude, aut vi, illis, à martialibus extorqueantur. Quorum aliqui in maxima vitæ diſcrimina, vel ob mærorem in extrema mala incident: paſsim enim futura cruenta (proh dolor) hæc tragædia Belgij noſtri. Saturnus ſiquidem radijs inimicis ſcilicet oppoſitis inficit Cancrum, qui noſtro potiſsimum Belgio imperat.

Mars cadens in domo tertia, Mercurius ibidem combuſtus, atque infortunatus vterque: Quorum reſpectu ſimulata paſsim probitas, ficta pietas, & fucatæ amicitiæ cum cruenta Cataſtrophe deſignantur, Multa

ſcelera ſub prætextu boni patrabuntur: Iuſticia laborabit, ingratitudo vigebit: Calliditas & verſutia pro prudentia habebitur, ſanguinis effuſiones variæ ſunt metuendæ, cædes, hominumque clades.

Quum ſignum Eclipticum ſit Aries, ſignum ignei Trigoni primum: Aſcendens etiam mediæ Eclipſis Leo ſignum ſimiliter igneum: Viſiones variæ, ignitæ, & horribiles, ac horrenda prodigia, per mediam Aeris regionem, ſupremámque volitantes, mortalibus terrori futura; ſiccitas magna cum æſtu grauiſsimo, repentinis fulgoribus, aeriſque perturbatione inſolita, tonitruorum & grandinum terribilium, ſtragem multam non ſolum hominibus, ſed & pecoribus, meſsique inferentium deſignatur: eoque magis, quod Mercurius ſit combuſtus in libra ſigno æreo.

Luna in domo noua, hoſtilibus Saturni radijs ſauciata, violentiam in Religione minatur, ſeu ijs rebus, quæ ad Religioſos ſpectant, Signum enim decimæ domus cum loco Eclipſis, cognationem maximam habet.

Mars & Mercurius huius defectus Domini primarij, quum ſint in humanis ſignis, latrocinia varia, cædes hominum frequentes, & prælia particularia, eáque cruenta decernunt: Quia vterque eorum eſt inſidus, promptus, pronuſque in omne malum, cruentus, crudelis, vigilans, & infœlix.

Mars in ſigno terreo, terræmotus graues, & iacturam in armentis ſignificat.

Mercurius Imperij ſocius in domo 3. combuſtus & infortunatus, varios rumores ſuſcitabit, falſos vt plurimum, & à ſubdolis effictos: Inter fratres, affines, & conſanguineos graues diſſentiones, atque patiniana odia pariet, vt hinc ſummoperè metuendum, ne alter alterum regno dominióque eijcere, aut in captiuitatem redigere conetur. Harum omnium calamitatum impendentium ſignificationes futuræ ſunt grauiſsimæ: Tum quod hæc Eclipſis ſit maxima: tum quod eo tempore, quo effectus ſuos malignos illa proferre incipiet, contingat par illa coniunctio malignorum Planetarum in domo cæli 12. quorũ vterque, cum Eclipſis loco conſenſum maximum habeat, contingátque congreſſus ille in quadrato hoſtilique intuitu cum loco Ecliptico, quo nihil deteſtabilius & pernicioſius in figura Eclipſis eſſe poteſt.

Præterea cum Luna ſit domina domus 12. tempore Eclipſis: quàm Saturnus maleficis radijs, ſcilicet Tetragonis hoſtiliter irradiat, inficitque, ipſi vulgo ac plebæis Lunaribúſque quàm plurimis ſtatum calamitoſum, inimicitias

micitias, carceres, ac paupertatem decernit: ac neſcio quid præterea aduerſi indicat, quantũ ad pecora & equos attinet. Nam ob conſenſum domus 12. cum hac Eclipſi, interitum equorum & amiſsionem pecudum denotat. Item aulicis nobilibúſque quamplurimis detentionem corporum, & captiuitatem portendit, ex qua magnis pecunijs ſe redimere cogentur, cuius calamitatis participes futuri magni nominis Iouiales quidã, quos Mars in domo ſecunda proſequitur. Horum enim reliqui theſauri vix ſufficiet vt è carceribus ſeſe in libertatem vindicare poterint: Horum etiam plerique auaritia inſatiabili deuicti, mortem præ mærore animique anguſtia oppetent. Vt igitur anni huius infauſtiſsimi 1578. calamitates omnes in vnum conferam. Hæ ſunto.

Diſceptationes variæ ac mutationes in Religione fient: perſecutiones impendebunt: Eccleſiaſtici ſtatum infelicem experientur, ex quibus nonnulli, ijque præcipui præ triſtitia interibunt. Inter fratres, conſanguineos, & affines charitas refrigeſcet, nam alter alteri nihil fidet. Rumores varij incerti, & plerunque falſi ſpargentur. Plurimi magnis exactionibus grauabuntur, hinc ad ſeditionem commouendam parabitur. Pars nobilium defectionem meditabitur. Mutationes tam in politicis quam alijs rebus impendent. Theſauri aperientur, Cõſilia callida, proditiones, impoſturæ, fraus ac dolus malus vigebunt. Pericula captiuitatum, carcerum, & exilij intentantur, atque reliquorum domus duodecimæ ſignificatorum. Domus autem 12 (ſecundum Aſtrologos) ſignificat inimicos occultos, deceptores & inuidos, boues, equos, aſinos, camelos, & omnia animalia quæ equitantur, & ſimilia. Significat etiam mærores, triſticias, planctus, fletus, lamentationes, ſuſurrationes, & ſimilia; Blaſphemias, carceres, exilia, maleuolentias, calliditates, malas cogitationes, labores, & praua ingenia.

Cum autem incidentia huius Eclipſis in tenebris magna ſit: alteque deſcendat Lunæ corpus in Pyramidem vmbræ terræ: locuſque eius ſecundum medietatem orbis Saturni hoſtiliter infeſtetur: conſequitur ante dictas ſignificationes grauiſsimas, aſperrimaſque futuras. Quæ igitur prouinciæ ac Ciuitates primo quadrangulo ſubiacent, ac ſigno Virginis: tum etiam homines illi omnes, qui ſub gradum 13. Arietis Libræ, Cancri, & Capricorni nati ſunt, ijs prædicta calamitas portendi videtur.

Horum omnium malorum Prodromus eſt *Cometes iſte*, præcipuarum criſium, ac Metamorphoſeos maximè in omni ſtatu internuncius, iræque

 diuinæ

diuinæ fæcialis: furoris diuini, humaniq́ue doloris panis meritò dicēdus. Teſtantur enim ſatis ſuperq́ue doctorum hominum Chronica, huiuſmodi portenta nunquam viſa, quin grauiſsima mala ſint ſubſequuta. Nam maximas ſemper tam mundi elementis, quàm animalibus mutationes inducunt, ſignificantq́ue obitum Regum, Principum, heroumque ingentia bella, ac prælia cruenta, ſanguinis profuſiones, iras, rixas, odia ac inimicitias, Regionum depopulationes, ac deuaſtationes, populi ſeditiones & furores, tumultus, proditiones, & magiſtratus conſpirationes. Famem denique, peſtilentiam, terræmotus grauiſsimos, locis ſcilicet huic malo obnoxijs, alijs autem inundationes, æriſque tempeſtates, grandinum, tonitruū, fulminū, cum pluuiarum impetu horrendiſsimas: Non tamen tam vt cauſæ effectrices, quàm vt ſigna quæpiam, & eiuſdem cauſæ ſoboles. Vt doctiſsimè Mathematicorum noſtri huius æui deploratiſsimi facilè Coryphæus ac Princeps D. Cornelius Gemma medicinæ profeſſor publicus Louanij litteris mandauit, Commentario ſuo primo, quem de diuinis Naturæ characteriſmis poſteritati dedicauit. Non autem quod mala hæc ſimul omnia paſsim, & vbique, neque ſtatim ſint expectanda. At locis temporibuſque diuerſis, calamitates variæ incidunt. Aſtra enim non vbique & in omnibus locis ſimiliter operantur: ſed pro vario ſoli ſubiectiq́ue ratione mutationes difformes, diuerſoſque effectus producunt. Tum etiam ſignificata in annos aliquot ſequentes producuntur, & differuntur: quū vt in morbis, diebus criticis: ſic etiam in Crinitarum ſignificationibus, annis criticis et climactericis potiſsimū mutationes incidūt, effectumq; ſortiuntur.

Porro quum grauiſsimæ illæ Aſtrorum Eclipſiumque minæ, ac effectus, parui admodum vulgo fiant, imo ab omnibus propemodum deſpiciantur, niſi dum humeris incumbunt, aut in capita impingunt: Quumque tunc ſit plerumque ſerius reſipiſcere, tempore videlicet reconciliationis intercepto. Viſum fuit Ioui Opt. Maximo, pro ſua inexhauſta (quàm ſemper defert Mortalibus) miſericordia, quum non velit mortem peccatoris, ſed vt tempori reſipiſcat potius, & à vitiorum ſemita greſſus deflectens, in perpetuum viuat. Hanc furoris ſui virgam mortalibus omnibus præmonſtrare, imo vel pueris ipſis terrori eſſe, diu antequam feriat: qui tamen tarditatem, vindictæ grauitate compenſat. Nam quantumuis huiuſmodi monſtra nonnihil cælo dependeant, maiorem tamen ſuæ generationis partem, cauſæ Metaphyſicæ acceptam ferunt. Eſt enim *Cometa* pro-

priè

priè veluti fax Omnipotentis Dei, vt quoties ſcelerum improbitate laceſsitus, armat hoſtilem manum,

Illa ſitim, morboſque ferens mortalibus ægris
Naſcitur, & læuo contriſtat lumine cælum.

At nihil nunc nouum, præſertim hoc deploratiſsimo æui noſtri ſeneſcentis imo propemodum intermorientis ſæculo: Quum paſsim & vbique, in omni hominum ſtatu, hac tempeſtate reperias perſonatos, laruatoſque quamplurimos, occurſu primo blandientes, ac fronte politos, At nullius frugis, frugem conſumere natos: qui in proprium duntaxat commodum inhiantes, vbi vel pedem latum diſceſſerint, extremam perniciem clam proximo moliantur. Vt meritò nunc exclamemus, cum Poeta Tragico.

Natura fallax abditos vultus geris,
Animiſq; pulchram turbidis faciem
Induis.

Quare quum nunc huius mundi peruerſiſsimi ſacra non aliter conſtent, fælicíſsimi, imo beatiſsimi cenſendi ij, qui ſeſe maturè è ſcena ſubducere norunt, & poſſunt: Alijs remedij loco ſit patientia, qua aduerſus omnia (quicquid fors fert) occaleſcant. Generales Cometarum ſignificationes, quum doctiſsimis, paucíſsimiſque verſibus complexus ſit Iouianus Pontanus, hos hîc ſubſcribere operæ prætium duximus.

Ventorum quoque certa dabunt tibi ſigna Cometæ,
Illi etiam belli motus, feraque arma minantur,
Magnorum & clades populorum, & funera Regum,
Vt cum ſeu cæli occaſum, ſeu Solis ad ortum
Extulerint caput infælix, & crine minaci
Horrendis latè implerint terroribus vrbes.
Si ſteterint, certoq; loco veſtigia figent,
Finitimi bello inuadent, ciuiliaque arma
Fædabunt ſocias cognato ſanguine dextras.
Sin ortum tendent verſus, peregrina moueri
Bella ſcias, hoſtémque externis affore ab oris.
Tu verò quod decernit Mauortius ignis
Infælix cæli ſydus, quod nuncius Arcas,
Hoc dirum imprimis ſtatues ſignare Cometen.
Vſque adeo infandam in rabiem fera ſæuit Erinnys:
Et dirus quatit in terras iacula aſpra Cometes.

Aratus præterea ijs & æſtus ſterilitates portendi affirmat. Sed omnium copioſiſsime hoc genus deſcribit M. Manilius Aſtronomicon Libro primo. Vnde pauca huc aſſcribere viſum eſt.

Seu

Seu Deus inſtantis fati miſeratus in orbem
Signa per affectus cæliq; incendia mittit:
Nunquam futilibus excanduit ignibus æther:
Squallidaq; illuſi deplorant arua Coloni,
Et ſteriles inter ſuecos defeſſus arator
Ad iuga mærentes cogit fruſtrata Iuuencos.
Aut grauibus morbis, aut lenta corpora tabo
Corripit exuſtis Lethalis flamma medullis:
Labenteſq; rapit populos, totaſq; per vrbes
Publica ſuccenſis peraguntur fata ſepulchris.
Quin & bella canunt ignes, ſubitoſq; tumultus,
Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.
Ciuiles etiam motus, cognataq; bella.
Significant.

Atque hæc de Cometarum generali ſignificatione hactenus.

Traiectiones & Crinitæ (inquit Ptolomæus) *ſecundas partes in iudicijs habent: Quare conſiderandæ, à qua parte veniant, & quoquouerſus ferantur.*

VT autem de huius Cometæ ſignificatione particulari agamus aliquid: Decem ſunt potiſsimũ notanda ac perpendẽda. Magnitudo ſcilicet, Color, Splendor, Forma, Diuturnitas, Situs, Locus, Motus, habituſque ad Solem, & ſitum orbis. Quum igitur hic maximus extiterit, effectus ſui claritatem ſignificat, & væhementiã, tum maximas in omni animantium genere, & elementis animorum perturbationes. Ex pallido, lugubrique colore, & facie, quum Saturniæ naturæ ſit, Saturni furentis damna ſignificat, malaque ea omnia, quibus humanum genus inſequi ſolet: vtpote ſeditionem, fraudes, proditiones, terræ motum, ſiccitatem, ſterilitatem, rerumque omnium inopiam: tum etiam ſui generis morbos omnes, qui humoris melancholici, atræque bilis ſoboles ſunt; Tabes etiam, Atrophiam, morboſque longos: In animis hominum odio pluſquam Vatiniano paſſim ſuſcitat, triſticias, merores, panicoſque terrores, commouet &c.

Quum etiam Martiæ naturæ ſit particeps, ſiccitates intempeſtiuas cum calore, ſub hyemis finem, totoque vere ſubſequente pariet, bella ſæuiſsima, ſeditiones, cædes, Latrocinia, deprædationes, ſanguinis profuſiones varias, Regionum, Vrbium, Caſtrorumque depopulationes, ac excidia, incendia non ſolum fortuita plæriſque locis, frequentia, & damnoſa, ſed ingenio, vi, & dolo malo excitanda ſignificat: vt de incendiarijs plurimis ſit ſummopere metuendum. Peſtem etiam acerbiſsimam, tum reliqua malorum

lorum genera, quæ de Diuiſione & natura Martis eſſe Aſtrologi comme-
morant: Quales ſunt febres acutæ propemodum omnes, antraces, car-
bunculi, herpetes, Eryſypelata, Gangrenæ. &c.

Præterea quum naturæ Mercurij nonnihil hic Cometa ſortiatur, vt
qui ſe ſocium malignis offert, & ſit in ſigno igneo, viaque lactea retro-
gradus, & in huius Crinitæ Antiſcyo, tum etiam in Antiſcyo Saturni:
Ventos horribiles, frequentes, ac vehementes ſuſcitabit, ſæuaſque tem-
peſtates terra marique noxias, naufragiaque multa: fulgura, tonitruaque
interdum horrendiſsima, & terræ motus: Callida conſilia, & fraudulentia,
ac turpiſsimas proditiones efficiet. artes inuentioneſque nouas, humano
generi pernicioſiſsimas ſuppeditabit. Quum etiam longiſsimè ac latiſſi-
mè Crinitus iſte tum caudam, tum comas diffuderit, atque ab vno Tro-
pico in alterum per Aequatorem promotus ſit, efficaciſſimas fore ſignifi
cationes eius omnes indicat: Et quas plurimi vltro & ſponte ſequentur.

Quum ſitus ſit in Tropico, ac via Lactea, locis totius Zodiaci nobilio
ribus, grauiſsima eius ſignificata decernit, omnibuſque manifeſtanda:
Mutationem etiam maximam in omni Reip. ſtatu denunciat: Eoque ma-
gis, quod in Solis Mercurijque Antiſcyo collectus ſit, vel incæperit:
Tum reliquus Planetarum ſitus peſsimus. Mars autem in Lunæ antiſcyo,
Sol & Mercurius in Antiſcyo Saturni. Saturnus Iouem Veneremque
hoſtilibus radijs impugnat: tum Cometes iſte ad Saturni congreſſum, &
ad tetragonos Iouis, Veneris, dein Martis properat: Siccum Saturno con
ſpirans, Ioui eiuſque alumnis Veneris ſubſidio deſtitutis, inſidiatur: vt
quæ à Ioue ad Martem profugiat. Iouiſque ſecreta, Marti denunciet, &
aperiat: eiuſque hoc modo beneuolentiam captet in Iouialium detrimen-
tum & quorundam perniciem &c.

Diuturnitas etiam notanda: quare, quum duobus plus minus menſi-
bus fulſerit, magnitudinem effectuum portendit, illorumque dignitatem,
& ſtabilem in perturbatione ſtatum.

Forma virgam referens, iræ diuinæ inſtrumentum, manuſque vindi-
ces in nos ſublatas ſignificat, ſecundum illud Prophetæ. Vltionem ca-
piam, & viſitabo in virga iniquitates eorum. Tum illud Iohannis: Ipſe
reget gentes in virga ferrea.

Quum caudam verſus ortum diffuſam geſſerit, orientalibus grauiora
denunciat, Ab Aphrico motu proprio in Boream progrediens, ab ea parte

crudeliſsimi cum magna hoſtium manu aduentum impetumque decernit; illumque fore ſenem verſipellem, caluum, & Barbatum, longa rerum experientia in omni perfidiæ dolorumque genere inſtructiſsimum, qui hoſtili manu conabitur in Regiones notatas impetum facere, deuaſtare, & deprædari omnia, & in ſeruitutem redigere perpetuam, Saturniæ namque naturæ futurus quùm ſit, eius indolem perniciosiſsimam paſsim prodet. Quum ſit motu tardus, ſenſim id fore putandum, idque pacis, amicitiæ pietatiſque prætextu primo, poſtea vi & armis. Motus ad ortum, peſtem præterea, & mala maxima minatur.

Quum etiam *Cometes iſte* ſit occidentalis reſpectu Solis: tarde lenteque ſignificata huius habitura ſunt initium, quæ in multos annos ſubſequentes, (præſertim criticos & climactericos) extendentur.

Quibus potiſsimum locis, Regionibus, atque ſubiectis, ſignificationes ſuas noxias fore ſignificat.

Quum *Crinitus iſte* collectus ſit in principio Capricorni, locis omnibus & Regionibus ſigno Capricorno ſubditis grauiſsima omnia decernit: quales ſunt (ſecundum *Ptolomæi*, aliorumque Aſtrologorum placita) India, Macedonia, Italia, Albania, Græcia, Maſſouia, Heſsia, Turingia, Marchia, Stiria, Orchades inſulæ. In quibus maximam terræ ſterilitatem, propter immenſam intempeſtiuamque ſiccitatem denunciat: Italiæ præſertim grauiſsimam conquaſſationem propter horrendiſsimos, ac diuturniſsimos terræ motus indicat: Quod non ſolum ex huius *Cometæ* hoſpitio, vtpote ſigno terreo: ſed ex ipſo hoſpite Saturno colligimus.

Ex quorum etiam decreto Vrbes multæ ſigno Capricorni ſubiacentes ſeditionibus varijs, ac Populi furore ac proditionibus ſunt exagitandæ, ne dicam ſubuertendæ. Cuius claſsis ſunt, Iuliacum, Cleuonia, Bergha, Machlinia, Oxonia, Vilna, Auguſta Vindelicorum, Conſtantia, Derthona, Fauentia. Et tu ter maxima *Ganda* cautiſsimè vigila, ne nouitate rerum ſeducta, maleuolorum inſidijs obruare, & clandeſtinis proditionibus peſſum eas. Ne tranſgrediare terminos antiquos, quos conſtituerunt Patres veſtri: At metuo (mehercle) metuo plurimum, ne hoc anno calamitoſiſsimo prognoſticon illud compleatur, quod ante annos plurimos (de ſtatu Reip in Regio Comitatu Flandriæ in tabella antiqua, in monaſterio Brugenſi dicto vulgariter **Eeckhoutte**, depictum conſcriptumque repertum eſt. Quod hic aſſcribere viſum fuit.

Flandria

Flandria Flos Florum, formidas frena ferentes;
Flandria flens fletu, flectes fallacia frena.
Iudaico more qui legis, iſta legas.
Vena bis ſedis claue reſolue ſeras.
Forma cecas clauis, hinc bona ſurget auis.

Gibid væ tibi, nam de te facis ipſa ruinam.
Deficiunt vires nec probitate vires.
Vberibus plenis lac noſtrum das alienis.
Lacte Lupos refoues, felleque paſcis oues.

Nuda mulier Flandriam deſignat.
G. ad caput eius, metropolim Gandauum.
B. ad dextram manum, emporium Brugenſe.
D. ad pedem ſiniſtrum. Duacum.
E. ad alterum. Inſulas.

Lactat autem mulier luporum catulos: quid autem adulti in altricem moliantur: vel lippis & tonſoribus notum.

Non eſt dum ſpiras, qui noſtras mitiget iras.
Væ capiti, manibus (proh dolor) & pedibus.
Dextra manus vana, nec læua fuit benè ſana.
Pes tuus inſtabilis, quilibet ac labilis.
Heu fortuna mala, cur, nos fallis tua ſcala.
Eſt ſedes tibi lis, eſt gradus inſtabilis.
Heu bis viceno das anno vulnera nobis,
More modóque ſecas, enſe, focoque necas.
Infælix natus à paucis es veneratus.
Nuda cares charis, lacte carente paris.
Gibid dilecta quià mens mala, nec via recta.
Hoc in perpetuum, ſit Diadema tuum.
En tibi principium, finis, caput, ac tibi cauda,
Deuorat hoc illam, deſtruit illud ea.

Quod


VIS
GAN
BVRG
A
GE
ARD
GET
GE
BER
BRV
SVR
BAS
NA
BO
G
GIB FIET
CVM DECA
B
I
bires, nec probitate bires.


MA
CE
CAS
CLA
VIS
HINC
DAVVM
ALDE
NARDA
COR
TRA CVM
PRE
SE
EXGIBIT
DECASIBIT
Gibit væ tibi, nam de te facis ipsa ruinam

QVod verò ad integram interpretationem attinet, Illius Auguſtini Lector meminerit. Vatum prædictiones citius impleri quàm intelligi.

Præterea quùm Cometes iſte hoſtilibus radijs (vtpote aſpectu oppoſito alterum ſignum Tropicum, Cancrum ſcilicet cum Saturno hoſpitatore inficiat: ad quem recta à primo eius ortu progreſſus ſit, ibique ſubſtiterit atque euanuerit: grauiſsima omnia Regionibus lociſque Cancro ſubditis decernit. Quales ſunt Regnum Granatæ, Franciæque, Comitatus Burgundiæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, tum Scotiæ regnum Pruſsiaque. Vrbes verò Conſtantinopolis, Tunetum, Venetia, Genua, Luca, Piſa, Mediolanum, Vincentia, Berna, Treueris, Eboracum, Lubecum, & Magdeburgum.

Quum etiam medio ſuo curſu per totum Aquarium reptet; non ſolum minatur regionibus vrbibuſque illi ſubditis, ſed multo magis ſigno oppoſito ſcilicet Geminis ſubiectis. Scilicet Hircaniæ, Armeniæ, Sardiniæ, Lombardiæ, Flandriç Brabantiæ, & Wirtenbergenſi Ducatui, Ciuitatibus autem Cordubæ, Viterbio, Ceſenæ, Turino, Vercellis, Rhegio, Louanio, Brugis, Londino, Moguntiæ, Haſſordiæ, Bambergæ, Norenbergæ, Villaco, & Antvverpiæ. Præter hæc, quùm à primo ſuo ortu Cometa iſte verſus Boream Septentrionemque, indies magis magiſque declinarit, hiſce regionibus Borealibus noſtroque Belgio grauiſsimè omnia, ne dicam ſubuerſionem exrremam minatur: potiſsimum autem Annonæ caritatem, Famem, & hoſtium exterorum impetum, & depopulationem, vt hinc clades, maxima cum ſanguinis profuſione multa ſit metuenda, tota ſcilicet ſubſequente æſtate. Tum ob id maximè quod tam Eclipſis predicta cum varijs Aſtrorum concurſibus, quàm Planetarum inter ſeſe dimicationes, predicta omnia confirment. Tam variæ enim atque frequentes Planetarum reliquorum ſunt cum malignis, ſyderibuſque maleuólorum ſequentibus, toto huius anni calamitoſiſsimi concurſus, vt ſummopere ſit metuendum, ne omnia peſſum eant: vel (vt minimum) peruertantur.

Autumno tempeſtates horrendæ cum aeris perturbatione, ventorum rabie, flatuque maximò, impetu grandinum; hyeme verò accerrimum gelu cum niuibus copioſis, Dein ex harum ſubita fuſione, inundationes multæ & calamitoſç ſunt exſpectandæ, Hollandiæ potiſsimum, Phryſiæ, Zelandiæ, Flandriæque tractu occiduo, & boreali alijſque maritimis locis.

Tum in politicis non ſolum, ſed in Religione mutationes graues ac permoleſtæ. Eoque magis quod à Tropico hyberno Cometes iſte incæperit, & ad Tropicum Cancri euanuerit.

Saturnus Crinitæ huius imo potius *Barbatæ ſtellæ* οἰκοδεσπότης, ſeu Gubernator Primarius, prouectæ ætatis hominibus ac ſenibus varias calamitates, proditionum, captiuitatem, carcerum, mçroris, triſtitiæ, morboſque apoplecticos ac Lethargicos, eoſque grauiſsimos denunciat. Seniorum clariſsimi nominis & famç quibuſdam extrema vitæ pericula imminent.

Quum etiam *Μετάπτωσις iſte Cometæ* huius dux ſit aut Comes, & vterque, in Solis Antiſcyo, aduerſitates quam plurimas ſolaribus viriſque principibus, heroi-

heroibuſque quibuſdam tam ſtemmate, quàm bellica virtute nonnullis per inſidias, alijs in prælio: Quod etiam ex Solis congreſſu cum corde (Scorpij Autares) ſtella ſecundi honoris, & violenta conſummatur: ijs enim à maleuolis, tam vi, quàm veneno inſidiæ frequentes texentur.

Præterea Iouialibus exilij, carcerum, aliorumque grauiſsimorum timorem incutit. Nam Iupiter in Libræ principio caudæ Draconis iunctus, vtriuſque maleuoli tam Crinitæ quàm Saturni hoſtilibus Saturni finibus & loco exaltationis ſit peregrinus hoſpes: Antiſtiti cuidam Religioſo, extremum carceris, exilij mortiſque metum indicat.

In ſigno terreo oberrans Cometes cum Saturno, terræ ſatis omnibus, arboribuſque floreſcentibus non ſolum ſed & fructibus, ac meſsi, quamplurima incommoda, ob intempeſtiuas Aeris perturbationes, tum fulgurum, tonitruorum, grandinum, imbriumque tempeſtates, ventorum impetus horrendos: Locis autem terræ motui ſubditis, terræ concuſsiones inſperatas, inſolitaſque nunciat.

Planetæ omnes (exceptis luminaribus) cum Crinita Septentrionales, Borealibus regionibus omnibus grauiſsima imminere confirmant.

Inſuper quùm in ſigno Piſcium, trigonoque aqueo fuerit, abſolueritque curſum, regionibus lociſque omnibus quibus Piſces imperant, tempeſtates varias, aeriſque perturbationes, ventorum grandinumque cum niuium pluuiarumque impetu minatur: vt hinc aggerum, Littorumque ſubuerſiones, cum ſubita longe lateque inundatione ſint formidandæ, non ſine magna hominum, pecorumque clade, ſubuerſione, ædificiorumque ruina lamentabili.

Crinitus congreſſu Aquilam inficiens, Delphinumque: vtriſque vult peſsime: Aquilę ſummopere verendum, ne pluuiarum iacturam faciat, implumis cælo decidat, riſumque maleuolis moueat: niſi Ganymedem Ioui abremptum, eius aulæ reſtituat denuo.

Delphinus autem qui marinas omnes belluas eſt temerario quodam auſu inſequutus, terramque mari commiſcere, omniaque inuertere venenata ſua cauda eſt conatus, timeat Neptuni tridentem: ni enim motos componere fluctus incipiat: actum de gloria pelleque ſuâ. Fælices illi ter, quater & amplius, qui inter propriam cuticulam ſeſe continere poterint: alijs enim grauiora manent.

Atque hæc de Maleuolorum minis dicta ſufficiant. Interim benignum Lectorem vnicè; ne in deteriorem partem interprætetur, ſi quæ aut temere ſcripta, aut contra mentis affectum euulgata ſint: neque animum deſpondeat, ſi ſubinde ad hyperbolem exceſſerit oratio: quin cogitet, ſibique preſuaſum habeat, hæc non tanquam ex Delphico, aut Appollinis oraculo, aut tripode dicta ſeu Euangelicos: ſed ex Aſtrologorum placitis deſumpta. Quæ quantumuis cum ijs quæ nunc diuinutus nobis oſtenſa ſunt terribilia, conſentiant, poſſunt vitæ pietate, præcibus, effuſiſque ad Deum omnipotentem lachrymis, non ſolum miteſcere, ſed etiam in Aduerſarios verti, atque in finem iucundiſsimum terminari.

minari. His enim monſtris duntaxat quid noſtræ debeatur petulantiæ, & prauitati, ac ingratitudini, & quanta ſit erga nos ter maximi, ſummique ac omnipotentis Dei benignitas deſignatur: Quum etiam totum hoc noſtrum Belgium vndiquaque ſit propemodum commulſum, nihilque expectet ampliùs, quàm extrema omnia, ac vel ruinam certam, vel ſalutem cælitus inſperatam cuique beneuolo hoc vnicum (remedij & conſolationis ergo) animo reuoluendum relinquimus, quod olim ad Chriſtianos dicebat Philo, oportere confidere nunc potiſsimum, quod Deum proximum eſſe conſtet, quibus humanum deſit auxilium: *Virtus enim Domini in infirmitate perficitur.* Adeoque prudens futuri temporis exitum caliginoſa nocte premit Deus, ridetque ſi mortalis vltra fas trepidet.

Bergis D. Guinochi 6. Id.
Ian. 1578.

In hoc Latino Prognoſtico, quod diligenter & aſtrologicè elaboratum eſt, nihil continetur, quod Sancta Catholica Rom. Eccleſia Religioni contrarium eſt, & dignum eſt, & vtile, quod imprimatur & vendatur, & legatur, datum Antwerp. Die 17. Feb. Anno 1578.

D. Henricum Ziberti à Dunghen.
S. T. D. Lib. Cenſ.

Typis Radæi.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

100921

Digitized by Google